DE

OCIMASIA PULMONUM
EXPERIMENTIS NONNULLIS ILLUSTRATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARUM GRYPHICA

PRO SUMMIS

MEDICINA ET CHIRURGIA NEC NON ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

DIE IV. MENSIS JULII A. MDCCCXXXIX 1839

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROLUS GUILELMUS PAROW
GRYPHISVALDENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. HESS, MED. DR.
J. MICHALSKY, MED. DR.
J. SCHILLER, MED. CAND.

GRYPHIAE,
YPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

EXCELLENTIAE

VIRI ILLUSTRISSIMI

DR. J. TH. DE SCHLEGEL

CAES. RUSS. MAJ. A CONSILIIS STATUS EFFECTIVIS,

ACAD. MED. CHIR. PETROPOL. PRAESIDIS, EQUITIS,

AVUNCULI CARISSIMI

E T

PRAECEPTORI SUMMOPERE COLENDO

VIRO ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO

R. F. L. HUENEFELD

EMIAE AC MINERALOGIAE PROFESSORI PUBL. ORD.,

CET.

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Non tam ipsius docimasiae pulmonum studio, nam iis, quae saepe institui, experimentis organico-hemicis permotus, ad tractandas eas, quas haece ıca dissertatione traditurus sum quaestiones me con-erti. Ita factum, ut, quum illis ad enucleanda alia, djuvante aestumatissimo praeceptore ill. *Huenefeld*, ccupatus essem problemata physiologica, tum de-ıum nobis in mentem veniret, ut in docimasiam pul-ıonum illa accommodaremus studia. Quare, si illa ujus dissertationis pars, quae continet quaestionem ıedico-forensem de docimasia pulmonum, sive ju-icium de iis, quae in usum forensem instituenda int ad docimasiam pulmonum spectantibus experi-ıentis — non ita copiose et accurate videatur esse

tractata, id mihi profecto excusationi fore sper
apud lectores, quod hujus conscribendae dissertat
consilium minime ceperam critico munere funct
cui neminem sane, nisi bene peritum medicun
rensem esse parem putaverim. Potius id prae ce
egi, ut, quum mihi graves et ad instituendam
masiam pulmonum interdum prorsus necessariae
derentur esse observationes meae, hoc eos opus
traderem, quod valde exopto, ut medici fore
practici cum liberaliori, tum subtiliori examini a
judicio dignentur ac, si quid boni repererint,
possint conferre in ipsorum usum et commodum.

§. 1.

Introductio.

Diversarum inter se docimasiae (a δοκιμάζω
ploro) pulmonum vel pneobiomantiae (*Wildberg*,
πνέω, spiro, βίας vita, et μαντεία vaticinium) no-
num altera quidem angustior, nonnisi in cogno-
endis investigandisque mutationibus respiratione in
lmonibus effectis versatur, altera vero latius pa-
ıs, spectat ad inquirendas etiam reliquas respira-
ne effectas totius corporis mutationes[1]), ita ut
spirasse infantem, experimento pneobiomantiae in-
tuto, aut negetur aut affirmetur. Pneobiomantia
experimentum ad quaestiones criminales solven-
s institutum, quo, utrum infans jam mortuus edi-
sit, an post partum obierit, exploretur. Si
eobiomantiae experimentum instituamus, primum
thoracis convexitatem, tum, obductione facta,
diaphragma convexum respiciendum est, quo facto
docimasiam pulmonum progredimur. Quae qui-
n ipsa spectat ad colorem, expansionem et ambi-
ı pulmonum, ad sanguinem quo impleti sint, mu-
ımque ad reliquas totius corporis partes relativum

1) Roose, Grundr. med. gerichtl. Vorl. §. 46. Frankf. 1802.

pondus, porro ad pulmonum, quum dissecantur, strepitum scatentemque simul ex iis lympham. Postremo hydrostatica, ut dicunt, pulmonum subsequitur docimasia, id est: specificum pulmonum pondus eorumve aut solorum ipsorum aut una cum corde ac glandula thymus aut etiam singularum particularum aqua natandi submergendive facultatis exploratio. — E quibus, pneobiomantiae notioni docimasiae pulmonum notionem esse subordinatam, et hanc quidem alteram pulmonum docimasiae et universalis et hydrostaticae notione comprehendi, elucet. Quamvis autem, si firma et plena, quibus inniti possit inquisitio forensis, judicia elicere ex illis experimentis voluerimus, adeunda sint pneobiomantiae universalis auxilia: prae ceteris tamen gravissimum videtur, esse existimandum nobis, „specificum pulmonum pondus" criterium, quo, quum majore minoreve sint reliquae mutationes in constantiâ, aut comprobetur aut negetur infantis respiratio ac vita. Quam ob rem docimasiae pulmonum notione vulgo illa hydrostatica significatur.

§. 2.

Historia.

Galenus[2]) jam de discrimine inter foetus et neogeniti pulmones disseruit. *Harvey*[3]) vero primus

---

2) De usu part. corp. human. Galeni oper. omn. cur. Kühn Vol. I, c. VI.

3) Exercitat. de generat. animalium. Lond. 1651.

liscrimen illud accuratius designavit; simulque con-
endit, hinc recte conjici posse, num neogeniti aut
rivi aut jam mortui nati fuerint. Paulo post et *Th.*
Bartholinus[4]) edocuit, pulmones, qui spiritum non
raxissent, compactiores esse ac rubicundiores, quam,
jui spiritum traxissent et dixit, aeque ac si jam
ludum notum fuisset, illos in aquam injectos sub-
nergi, hosce contra in aquae superficie teneri. Aëre
utem atmosphaerico pondus pulmonum specificum
evius reddi *Joh. Swammerdam*[5]) primus demon-
travit.

Docimasiam pulmonum hydrostaticam instituen-
lam ad inquisitiones criminales in puncto infanti-
idii *Rayger*[6]) proposuit, quem contra *Ettmueller*
ulmones quoque, qui nondum traxissent spiritum,
quae satis profundae innatare contendit, qua ab opi-
ione tamen mox recessit. Primam pulmonum do-
imasiam in rebus forensibus Dr. *Schreyer*[7]) medicus
hysicus Cizae anno MDCLXXXII instituisse dicitur,
t annis MDCLXXXIII et LXXXIV plures facul-
ates medicae[8]), quae docimasiae pulmonum hydro-

---

4) De pulmon. substant. et motu. Hafn. 1663.

5) Tract. de respirat. usuque pulmonum. Lugd. Batav. 1677.

6) Miscellan. natur. curios. 1677. a. VI. Dec. 1, obs. 202. p. 299.

7) Erörterung und Erläuterung der Frage, ob es ein gewiss Zeichen, wenn eines todten Kindes Lunge im Wasser untersinkt, dass solches im Mutterleib gestorben. Zeitz. 1691. (Halle 1725 u. 45).

8) Praxis vulner. lethal. a D. Paul. Ammanno Prof. p. Francofurt. 1701 Dec. VI Art. Infanticid. p. 402.

staticae auctoritatem probarunt, *Raygeri* et *Schrey*
experimentis nituntur, dum Lipsiae medicorum or
simul quoque experimentis institutis, putredine n
leviores reddi pulmones, promulgavit. Non mu
autem post idem medicorum ordo [9]), et inter al
Zeller [10]) et *Bohn* [11]) docimasiam pulmonum infes
vere, quo factum est, ut *Ludovici* [12]), *Beyer* [1
Haller, *Leyser* [14]), *Teichmeyer* [15]), *M. Alberti* [1
Boehmer [17]) novas cautiones docimasiae adjicere

Deinde *Daniel* [18]) et *Ploucquet* [19]), eodem fe
tempore in pulmonum majus pondus absolutum

Valentini pandect. med. leg. Part. II, sect. VII, cas.
VII, VIII, IX.

9) Zittmann, medicin. forens. h. c. respons. facult. m
Lipsiae 1650—1700. Francof. ad Moen. 1706. Cent.
cas. LXV, p. 1289.

10) Dissert. infanticid. non absolvit, nec a tortura liber.
respir. facta in uter. tollit, pulmon. infant. in aqua su
sident. Tübing. 1691.

11) De offic. med. duplic. Liss. 1704. p. 661.

12) Constit. criminal. Carol. V etc. Hal. 1707.

13) Delineat. juris crimin. secund. const. Carol. Viteb. 171

14) Spec. 611 medit. 37 in medit. ad pandect. Vol.
Lips. 1740.

15) Instit. med. leg. vel forens., auct. a J. F. Faseli
Jen. 1767.

16) D. de pulmon. subsid. experim. prud. applicat. Hal. 172

17) Meditat. in constit. criminal. Carol. Hal. Magdeb. 174
§ VI.

18) Commentat. de infant. nuper. nator. umbil. et pulmo
Hal. 1780. sect. III, XXIX, p. 183. XXXV, p. 200.

19) Abhandl. über die gewaltsamen Todesarten. Tübing. 17
und 1788.

piciendo majoremque amplitudinem, quam ex san-
uinis affluxu inter respirandum illi capiunt, nova
ocimasiae signa afferre conati sunt. *Daniel* enim
ulmonum, qui respiraverant, majus pondus absolu-
m ac majorem thoracis pulmonumque extensionem,
loucquet inprimis majus absolutum et ad reliquas
orporis partes majus relativum pondus (pulmonum,
ui spiritum traxerant, ponderis proportionem ad
liquas corporis partes relatam fere 1 ad 70, eorum,
ui non respiraverant 2 ad 70 sive 1 ad 35 esse
cit) signa respirationis factae certa habere voluit.
uae quum mutationes negari nullo modo queant,
nime tamen nec ponderis nec amplitudinis certa
ensura est definienda, *Knebel*[20]), qua re haecce
perimenta minoris remanserunt momenti. *Fase-
s*[21]) et *Baumer*[22]) in pulmonum colorem prae-
imis respici voluerunt, quod *Büttner*[23]), tamen
n in dubium vocare suadet. *Loder*[24]) respiratio-
; factae signa in pulmone dextro primum apparere
it, et *Wildberg*[25]), praeprimis in thoracis am-

0) Grundr. der poliz. gerichtl. Entbindungskunde, 2tes Bndch. Berlin 1803.

1) Teichmeier, l. c. § 185 et 87.

2) Acta philos. med. soc. acad. scient. Hassiat. Francof. et Lips. 1771. §. 9.

3) Vollständige Anweisung, wie durch anzustellende Besichtigung ein verübter Kindermord auszumitteln sei, mit Anmerk. von Metzger. Königsberg 1804. S. 74.

4) Anfangsgründe der med. Anthropologie u. St. A. K. Jena 1791. S. 479.

5) Ausführliche Darstellung der Lehre von der Pneobiomantie etc. Leipz. 1830.

plificationem jam prius laudatam respicere iube simulque, quomodo ea sit definienda accuratius demonstrare studet. *Jerico*[26]) primus observavit strepitum crepitantem inter pulmonum sectionem.

§. 3.

Pneobiomantia in inquisitionibus criminalibus de infanticidio raro quoque de rebus hereditariis adhibetur. Prioribus aevis, ubi tortura utebantur in inquisitionibus forensibus docimasia pulmonum permagnam habuit potestatem, quoniam indicia ex ejus experimentis prolata, ut reae tortura aut morte mulctarentur, facile efficere poterant. Ex quo autem abolitus est ejus usus; id solum inquisitionis administrae docimasiae pulmonum relictum est muneris, ut, quae sceleris essent condemnatae, eae facilius ea possent moveri ad confitendum. Ceterum nunquam aliud quid a docimasia pulmonum poterit postulari, quam ut simpliciter neget aut affirmet — unde scilicet nondum convincatur infanticidii mater — vivum editum esse infantem. Quando vero docimasia pulmonum affirmaverit, infantem vivum esse natum, multa alia adhuc argumenta jureconsulti hodierno tempore a medicina forensi sibi suppeditari postulant, ut inquisitionem ad finem perducere et sententiam formare possint. Huc pertinet, ut medicus forensis non solummodo causam mortis violentam investigationibus a se instituendis detegat, eam-

26) Alberti J. P. M, Tom. V, Cas. 4, p. 76.

ue certe signis physicis comprobet, sed etiam de-
ionstret, violentiam neonato organismo illatam cul-
osam aut dolosam vel re vera esse vel pro tali
osse haberi, ne mors neonatorum, qui fortuito ac-
idit, cum morte violenta, neve mors violenta acci-
entalis cum morte violenta culposa aut dolosa in
oro commutetur. Ubi nam autem sint fines con-
tituendi inter certas et probabiles pneobiomantiae
xperimentarum judiciorumque rationes nunc erit
isserendi locus.

CAPUT I.

De legibus physiologicis, quae docimasiae pulmonum ansam praebuerunt.

§. 4.

Pneobiomantia autem nititur hocce placito phy-
ologico: etiamsi minime possit respirare nondum
atus infans, tamen neonatorum quidem nullo modo
ervari posse vitam, nisi respirando. Hoc igitur
robatur;

1) foetum partu nondum editum respirare non posse; et
2) non sine respiratione servari posse neonati vitam,

mulque vitam et respirationem in organismo neo-
ato inseperabiles esse. Quorum quidem unum quod-
ue principiorum videtur nunc subjiciendum esse
xamini speciali, pro cujus ratione et judicio con-

firmatam tum demum feremus sententiam de fid
quae docimasiae pulmonum sit tribuenda.

§. 5.

Mazzini[27]) et *Zeller*[28]) infantum integris o
velamentis inclusorum clamorem se audivisse co
tendunt. Alii quoque multi et prioris et nostra
aetatis medici obstetricii v. c. *Osiander*[29])
Schmitt[30]), *Thilenius*[31]), *Bredenoll*[32]), *Si
bold*[33]), *Ficker*[34]), *Knape*[35]), *Wigand*[36])
Zitterland[37]), respirasse foetum durante partu a

27) Tract. de respirat. foet. in Opp. T. III, p. 60.

28) l. c.

29) Osiander, Denkwürdigkeiten, Bd. 1, §. 67. — Göt tinger gelehrt. Anzeig. 1809. Bd. 1, S. 150.

30) Schmitt, Neue Versuche und Erfahrungen über die Ploucquetsche und hydr. Lungenprobe. Wien 1806. S. 173.

31) Thilenius, Loder's Journal für Chirurgie Bd. 4, St. 4, S. 638. Jena 1806.

32) Bredenoll, Journal für Geburtsh., Frauenzimmer- und Kinderkrankh., herausg. von Siebold, Bd. III, St. 3, Nr. 3.

33) Siebold, ibid. Bd. I, St. 3, S. 581.

34) Ficker, Beiträge zur Arzneiwiss. etc. Heft 2, S. 123. Münster 1802.
— Salzb. mediz. Zeit. 1804. Bd. 1, S. 239.
— ibid. 1810. St. 44, Beilage.

35) Knape et Hecker, krit. Jahrb. d. St. A. K. Bd. 2, Thl. 1. Berlin 1806.

36) Wigand u. Gumprecht, Hamb. Magazin für Geburtsh. 1807. St. 1.

37) Zitterland, Hufeland's Journal, Febr. 1833, S. 89.
— Henke's Zeitschr. für St. A. K. Bd. 4. S. 237.

rmant, et infantis clamorem auribus se percepisse cunt, et quidem mox, postquam defluxerint aquae, ox, postquam aut infantis caput introisset vaginam, it prorsus natum esset collo tenus.

§. 6.

Haud posse respirare neque clamare infantem tegris velaminibus inclusum, id, credo confiteri nnes, qui non ignorent, aërem, quo quidem deiente respirandi nulla sit facultas — nisi branhiati instar animalis foetum ex lympha amnios, in ua quidem aër inest, aërem extrahere putarimus — netrare nequaquam posse ovi velamenta. Omitto itur hic fusius disserere de falsis illis observatiobus, quas debemus virorum *Mazzini* et *Zeller* roribus.

§. 7.

Subtilius contra id erit disquirendum, num rante partu infans respirare possit, quum, etsi viris fide dignissimis factae proditaeque sunt eae servationes, quibus respiratio inter partum funtur, a nonnullis aliis tamen, uti *Camper* [38], *eckel*, *Metzger*, *Remer* [39], *Albert* [40]) puris putis roribus, adscribantur, quum sequantur auctorita-

8) Camper, von den Kennzeichen des Lebens und Todes bei Neugebornen. Frankf. und Leipz. 1777. Abth. 3.

9) System der ger. Arzneiwissenschaft, entworfen von Metzger, berichtigt von Remer. Königsb. u. Leipzig 1820. §. 310, a.

0) Henke, Zeitschr. für St. A. K. 1837. 2tes Heft, S. 397.

tem hypothetici hujus placiti: justam respirandi ca
sam, deficientibus adhuc primariis extra uterum r
spirandi conditionibus, non reperiri neque ob com
pressos thoracis musculos posse dilatari ad respira
dum pectus, sicut etiam exteriores nimis arcte int
se constrictas esse partes genitales, quam ut e
aërem in uterum usque transmitterent.

Quamquam vero nobis videtur id posse co
cedi, musculis ob partus dolores nimis compressi
non posse dilatari ad respirandum foetus pectu
impedirique ita, quominus respiret; tamen quotie
cunque remiserint dolores, saepenumero invenimu
uterum valde remisse circumcludere foetum, und
oriri potest respirandi facultas, etiamsi respiran
cupiditas influente aëre non excitetur. Porro,
desunt foetui conditiones, id est necessitas vel cu
piditas respirandi, in sanguinis nervorumque syste
mate, tamen negari non potest, insolita aëris irrita
tione, si modo is penetraverit ad foetus spiramenta
posse quidem illo, quod diximus temporis spatio
adesse respirandi facultatem. Quibus e causis e
experimenta ab *Albert* [41]) instituta — quibus jam
nata collo tenus retulit in vaginam, quae mox pe
rierunt, animalia, — non multum comprobant, quod
ipse quidem haud negat. — Fortasse ita experien
dum fuerit in animalibus parturientibus, ut, liquore
amnios derivato, ad foetus respirationis ostia aër
adducatur atque ille, antequam finitus sit partus,

41) l. c. S. 398.

terficiatur. Respirationem tamen censeo, tam in-
gram, illa conditione perfici non nisi rarissime
sse, ut per docimasiam pulmonum possit cognosci.
uem ad finem fortasse canalis vitrei atque aqua
pleti partem extremam conjungas cum altero et
idem elastico, qui eligatur infundibuliformis, eos-
e ita componas, ut formato aut recto aut acuto
gulo alterius canalis infundibuliformem finem ad-
eas ad foetus respirandi aperturas. Quibus qui-
m paratis ita atque institutis, si qua altius assur-
t aqua vel reciprocetur, ea re mihi facile posse
letur colligi, respirare foetum. Atque hujus insti-
ndi experimenti erit sane opportunus locus et occa-
in scholis eorum, qui docent artem veterinariam.

Accedente vero aëre in uterum usque et in-
tis spiramenta, nullam tamen esse respirandi
ultatem puto, nisi quam opportunissimis, quae,
quando, tantum rarissime observantur, conditio-
us. Inter eas autem praecipue esse videtur refe-
ndus aër in partes illas, vel manibus parturienti
xilium ferentibus vel aut funiculi umbilicalis aut
is cujuspiam extremae corporis partis prolapsu
vectus, vel etiam foetus in utero materno situs
n facie praevia, intranti aëri apta.

Ceterum, si manibus latum fuerit parturienti
xilium haud ullum credo facile posse ejusmodi
um referri ad inquisitionem forensem. Partum
em, in quo supra dictae conditiones, aëris in-
itui in uterum maternum et ad foetus os et nares

usque faventes conveniunt, sine manuum au
perfici posse, invenitur quidem, sed tamen rarissi

Idcirco quoque credimus, observationes a n
tis medicis relatas, scilicet clamasse infantem
utero, errori adscribendas esse, quum facilli
praesertim adhibito manuum auxilio, strepitus q
piam possint audire [42]), nec minus flatus parturi
tis aliaque in vicinia ejus acta, quae omnia tanqu
raucus infantis clamor saepius possint sonare.
multis autem casibus ii, qui rem tradiderunt,
non interfuerunt, sicut in aliis aut omnino non
stituta erat obductio infantis, aut, si instituta e
infantem respirasse non comprobaverat [43]). In q
bus rebus eo faciliores esse errores putare no
liceat, quo rarius sane accidere solent conditio
illae respirationem in utero adjuvantes, quum
per labia pudendi arctissime inter se adstricta,
per vaginam sanguine et pituita conglutinatam, n
nisi difficillime perveniat ad os naresque foet
cujus adhuc in utero relictum sit caput.

§. 8.

Si vero denique descenderit caput in vagina
efficiturque solius capitis partus, in arctissimo spa
invenitur pectus, neque ullo modo ita dilatari

42) Albert, l. c. p. 206.
43) Stühling, Froriep's Notizen aus dem Gebiet der Natu
und Heilkunde, Bd. XXV, Nr. 2.

posse videtur, ut respirandi facultas subsequatur[44]). Nihilominus foetus clamorem et respirationem in illo temporis momento observasse sese voluerunt *Haller*[45]), *Hunter*[46]), *Osiander*[47]), *Hagen*[48]), *Ploucquet*[49]), *Boudeloque*[50]), *Schmitt*[51]), *Richter*[52]), ac sane, quae viderunt, ea ratiocinando refutari haud posse arbitror. Attamen cum *Alberto*[53]) consentire nihil liceat, utpote qui foetum, iis tenus, quas nominavi, partibus natum, omnino natum esse habendum censet, quum, si jam eo usque progressus sit partus, nunquam diu retineatur partus perfectus, nisi infaustissimis rerum momentis[54]).

---

44) Wildberg Decision. quaest. dub. de inf. neogenit. cum rationib. decidendi ex scient. med. desumt. Goett. 1808. S. 259.

45) Elem. phys. corp. hum. Tom. VIII, Lib. XXXIV, Sect. 10, §. 55.

46) Ueber die Beweise des Kindermordes, in der Samml. auserles. Abhandl. z. Gebr. pr. Aerzte herausg. v. Kapp, Bd. XI, St. 2, S. 211, neue Ausg. Leipz. 1789 — 807.

47) Annalen der Entbindungs-Lehranstalt zu Göttingen, Bd. 1, St. 1, und Bd. 2, St. 1.

48) Erläuterungen seines Vers. eines neuen Lehrgebäudes der prakt. Geburtsh. Berlin 1793. Nr. 10, S. 157.

49) Comment. in proc. criminal. Sect. II, §. 109, et Abhandl. über die gewalts. Todesarten etc. 2te Aufl. Tübing. 1788.

50) Anleitung zur Entbindungskunst, übers. von Meckel. Leipzig 1783. S. 333.

51) l. c. p. 413.

52) Synopsis prax. medico-obstetric. Moscau, 1801.

53) l. c. p. 413.

54) Teichmeier, l. c. cap. XXIV, p. 241.

§. 9.

Quibus rebus perscrutatis sententia illorum, qui negant *posse* respirare nisi natum foetum, infirma omnino videtur esse. Interea censeo, respirationem infantis durante partu docimasia pulmonum vel nunquam vel rarissime probari posse, quum respiratio infantis uterina fere nunquam locum habere possit, nisi in parturientibus, quae aliorum auxilio ad perficiendum partum egent, quod simul, si parturientibus allatum est, infanticidium ejusque suspicionem prohibebit, — et, quum respiratio infantis, cujus caput jam e vagina provenerit, a vita ejus extra matrem non discrepare videatur.

§. 10.

Vitam eorum, qui modo sunt nati, servari posse sine respiratione per aliquod tempus, negari non potest [55]), si quidem retardato aut nimis graviter impedito partu, foetus in statu infirmitatis vel lipothymiae vel asphyxiae natus fuerit, vel si aëri viam aperientia ostia pituita aut liquore amnios occlusa sint, et tum demum neonatus respirandi facultatem assequatur, postquam artis auxilium accesserit — porro, si vitium quoddam primae formationis adsit in pectore aut abdomine [56]), quo impediatur infans, quominus respiret. Huc spectant quoque illae observationes, quae docent, infantem na-

55) Henke, Lehrbuch der ger. Medicin. Berlin. 1835. §. 321.
56) Ploucquet, Commentat. p. 302.

um vivum ac sanum ante primam inspirationem et nte aëris atmosphaerici ad pulmones introitum s. d. *puria suffocatione* necari posse, v. c. si pariant ;ravidae, dum in balneo versantur et foetus immer-itur aquae eo temporis momento, quo nascitur [57], el si foetus simul cum ovi velamentis editus impe-iatur, quominus respiret, vel si nato capite os et ares infantis ab impia parturiente manibus tegun-ur et clauduntur, ne infans respirare nec aër at-nasphaericus ad pulmones pervenire queat; fide ob-ervationum, quas *Harvey* [58]), *Stalpery van der Viel* [59]) et *Camper* [60]) fecerunt. Ex dictis obser-ationibus sufficienter elucet, et extra omnis dubi-ationis aleam positum esse videtur, infantem vivum t quoque sanum nasci, et antequam respiraverit iolenter occidi posse. Ergo in hujusmodi casibus nfanticidium fieri posse constat, dum docimasia ulmonum in injustum matris favorem infantem post artum non respirasse et mortuum a matre editum sse testatur. Num infanticidium hujus generis — uia incertum est et nullo modo probari potest, um infans, ante respirationem occisus, ad per-ectam respirationem et ad integram vitam extra natris gremium pervenisset — crimen levioris no-ae et nullo modo homicidium nominandum et qua

57) Henke, Zeitschr. für St. A. K. Bd. 2. S. 10.

58) De generatione animal., p. 356.

59) Observat. varior. Cent. II. p. 355.

60) Von den Kennzeichen des Lebens und Todes. Aus dem Holländ. von Herbell. Frankf. 1777, S. 36.

tale mulctandum sit [61]), est quaestio juridica, quae ad medicinam legalem non spectare videtur, cujus examen jurisconsultis ac legislatoribus submittendum esse puto.

CAPUT II.

De certis mutationibus, quae in organismo neonatorum respiratione provocantur.

§. 11.

Pulmonum thoracisque in neonatis ante respirationem hicce invenitur status:

a) Thorax planior, ejusque cavum angustius.

b) Diaphragma majorem convexitatem in pectoris cavum, majoremque concavitatem in abdominis cavum vertit, quia abdominis intestina pulmonibus collapsis non impediuntur, quominus diaphragma reprimant.

c) Pulmones collapsi in posteriore pectoris cavi parte remanent, margine suo interiore pericardium vix attingunt, colorem prae se ferunt fuscum caeruleo rubrum, substantia eorum est compacta, dum secantur minor in iis animadvertitur sanguinis quantitas, qui e vasis solis nutrientibus effunditur, quum arteria pulmonalis nullum adducere possit san-

---

61) Schmidtmüller, Handbuch d. St. A. K. Bd. 2. S. 1[...] Landshut 1804.

minem pulmonibus ante respirationem factam; pondus eorum ad reliquas corporis partes relativum minus reperitur, praeprimis autem

d) pulmonum pondus specificum gravius, quam aquae, ita ut ea submergantur.

§. 12.

Respiratione autem facta hocce modo neonati thoracem pulmonesque invenimus mutatos:

a) thoracem externe convexiorem, interne concaviorem et cavum ejus amplificatum reperimus.

b) Diaphragma minore convexitate in pectoris cavum prominet, quia reprimitur a pulmonibus aëre inflatis et extensis.

c) Pulmonum volumen aëre inspirato ita extensum et amplificatum apparet, ut pericardium obtegant, omneque fere pectoris cavum impleant.

d) Pulmones colorem ostendunt pallidiorem, substantiam molliorem et elasticam; dum dissecantur, strepitus animadvertitur crepitans ex aëre prorumpente, sanguisque scatens spumas agit.

e) Pulmonum pondus, ad reliquas corporis partes relatum, gravius evadit, quod per sic dictam parvam sanguinis circulationem, respirando excitatam, pulmones multum receperunt sanguinis.

Haec vero signa nec semper sunt constantia, nec adsunt certi differentiarum et modo dictorum discriminum limites, quum mutationes, quae respiratione efficiuntur, non semper distinctae appareant, potissimum si respiratio imperfecta erat, quod sae-

pissime in neonatis, durantibus primae vitae hori vel diebus occurrit. Interdum, licet rarius pulmo nes, qui nondum respiraverant, eandem fere prae s ferunt faciem, quam ii, qui respiraverant. Quo et mihi, nuperrime infantis pulmones, cujus morter octo jam dies ante partum sese sensisse mater con tendit, obducenti occucurrit. Apparuerunt enin pulmones totum pectoris cavum explentes, pericar dium obtegentes coloremque trahentes pallido-ru brum. Quare in illam demum mutationem *praepr mis* respiciendum censeo:

f) quae pulmonum pondus specificum it levius reddit, ut una cum corde et glandula thymu in vase satis profundo et amplo aquae innatent quod si non fit, pulmones solos vel saltem singul eorum segmenta aquae innatare videmus. Aëren enim, quem pulmones inspirando traxerunt, nun quam exspirando penitus reddunt, sed maxima eju pars in cellulis aëreis remanet atque extensos serva pulmones; imo etiam tam firme retinetur in iis aër ut, quum pulmones prelo quam maxime et ita com primantur, ut chartae scriptoriae instar tenues fiant haud prorsus possit exprimi, id quod eo elucet quod pulmonis particulae ita compressae aquae in natant. Coquendo autem pulmones cum aqua aë expelli e pulmonibus videtur, quum coctae ejus pe quinque ad decem minuta particulae postea fundum vasis petunt. Nec minus aër expellitur putredine si quidem satis progressa sit, ita ut collabantur ve siculae pulmonales. Nam catuli cujusdam fere oct

ies nati pulmones conservati in pauxillo aetheris ulphurici, qui omnis mox evaporavit, putride *multrig)* olentes, aqua extemplo submergebantur. nfantis cujusdam, qui respiraverat, pulmonis parcula aetheri sulphurico injecta, modice jam putreacta eo ferebatur, octo tamen dies post, putredine lius particulae jam adaucta, submergebatur. Qua x causa non stricte videtur contendendum, putreine pulmones non ponderosiores fieri posse, namue haud idem est, ut *Remer* [62]) opinatur, quod unc ponderosiorem nunc leviorem reddit pulmonem, uum levior reddatur pulmo, si extenditur aura puida, gravior autem, si collabuntur vesiculae pulonales, quo fit, ut expellatur aura iis contenta. ultum tamen tempus ad omnes putrefaciendas pulonum partes requiritur.

CAPUT III.

Experimentorum a me institutorum ad neonatorum respirationem factam vel non factam probandam enumeratio.

§. 13.

Totus integer pulmo, qui respiraverat, sine orde et glandula thymus, sicut et singulae ejus

---

62) l. c. §. 331. n.

